











Anno ccccxxix.

1. De recto corticis chincu usu in febribus. Comoniam.
2. - etatis mutatione morborum causa & remedio. Andover.
3. Observationes circa curationem quartanae. Lindenbaum.
4. De Medicis morborum causa. Weis.
5. De apoplexia. oldani.
6. De febribus nefentorici. Lucius.
7. De anima in corpus potentia. Borosyai.
8. De morbis doliorum precipuis recta medevi ratione. Redens.  
Anno ccccxxix.
9. De noxiis ex remedii domestici incongrue applicatis. Lindau.
10. De cataracta. Heinrici.
11. De febre erysipelacea. Dietrich.
12. De vomitu cruento. Guttorf.
13. De diata virginum. Berens.
14. De lepidibus externis, abortivis, venenis ac philtiris. Schirme.
15. De etate conjugio opportuna. Kestler.  
15<sup>o</sup> Kestler, Johann Daniel. Gratulationgedichte zur Fector Würde. Juli 1729.
16. Trivs differt. physico-chymicarum recusarum: 1) de generatione salium; 2) de regula antimonii medicinali; 3) de mercurio et medicamentis mercurialibus.
17. Summa totius doctrine christiane.
18. De herba Borith. epistola gratulatoria.
19. Catalogus differt. et scriptorum Hoffmannianorum.
20. De lapidibus figuratis circa Nordhausen. Lefèvre.
21. Epist. gratulatoria ad auctorem summae totius doctrine Christianae.

11.

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

DE

# FEBRE ERYSIPE- LACEA

QVAM

PROPIPIO SVMMO NVMINE

PRÆSIDE

PRO - RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO

## DN. FRIDERICO HOFFMANNO

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE ET h. t. DECANO

*Ad d. Marii Anni MDCCXXIX.*

H. L. Q. G.

## PRO DOCTORIS GRADU

RITE OBTINENDO

PUBLICO EXAMINI SISTET

## FRANZ LUDWIG DIETRICH

BIELENSIS - SILESIUS.

---

HALAE MAGDEBVRGICÆ,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**HENRICO**  
**WILHELMO**  
S. R. I. COMITI  
DE SOLMS ET TECKLENBURG  
DYNASTAE  
IN WILDENFELD ET BIELIZ  
DOMINO  
MÜNZENBERGAE ET SONNENWALDAE  
SACRAE CAESAREAE MAJESTATIS  
CAMERARIO &c. &c.  
DOMINO SYO GRATIOSISSIMO

DISSESTITONEM HANC IN AVGVRALEM  
IN SVBMISSAE DEVOTIONIS  
TESTIMONIVM  
DICAT  
AC CVM VOTO  
PERENNIS FELICITATIS  
ET  
INCONCVSSAE SANITATIS  
DEDICAT  
DEVOTISSIMVS CLIENS  
FRANZ LUDWIG DIETRICH,  
BIELEFELDIENSIS SILESIUS.



DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGV<sup>R</sup>ALIS M<sup>E</sup>DICA  
DE  
**FEBRE ERYSIPE-  
LACEA.**  
PROOEMIVM.



gens quidem morbo-  
rum numerus, quibuscum morta-  
les subinde affliguntur tandemque  
penitus e medio tolluntur. Sed nul-  
lum ex his genus majoris, ob gra-  
vitatem & frequentiam, in Medi-  
cina momenti, quam febris & in-  
flammatio. Pandemius est uterque hic morbus, a quo  
nulla gens, nulla aetas, natura nullus im-  
munis, sed omnes omnino patent ex æquo, tam sape &

cam crebro, ut, si calculum recte ponamus, vix decimus  
agrororum, alia, quam febri, aut inflammatoria, de-  
tineatur passione. Gravem autem etiam esse utrumque,  
nemo sane ignorat, qui quantopere in iis tota motuum  
vitalium oeconomia turbetur ac laxatur, ex ipsis quibus  
siquantur symptomatibus, tenet perspectum. Formalis  
quippe febris ratio in eo consistit, ut universum nervosa-  
rum partium genus spasmis exagitetur vehementer, nec  
capropter ulla in corpore pars sit, quæ sub impetu suo  
secundum naturam munere rite fungatur, ipsa mens haud  
raro turbetur, quin, nisi remittant iterum infestæ strictru-  
m, vita ipsa opprimatur. In inflammatione autem, ille  
alicubi subsistens humor impactus, non modo vitalem  
succorum progressum graviter turbar, æstum & calorem  
in universo corpore accendit, sed & in parte cui insidet,  
ardorem & dolorem suscitat exquisitum, ac nisi cito  
discutiatur, corruptionem inducit, modo citius, modo  
lentius vitæ ipsi insidiante. Interim tamen uterque  
hic morbus non semper una eademque infestat vehemen-  
tia, nec periculo semper eodem; sed febris pro maiori,  
vel minori causa virulenta, jam initior est, jam gravior;  
& inflamatio, prout partes magis, vel minus nobiles  
ac sentientes infestat, cum minore etiam, vel majore pe-  
riculo complicatur. Hinc ubi interius obhærescit ma-  
teria aeris, deleteria & inflammans, febrem accendit  
acrem & haud leve vita intentat periculum. Sed ubi  
hæc critico quadam motu ad externas minus nobiles  
partes amandatur, remittit impetus & morbus tandem  
etiam discedit, nisi forte ob intervenientes alias causas  
eventus procuretur minus auspicatus. Patet id uberioris  
febrium exanthematicarum exemplo, quæ magna cum

vce

vehementia adoruntur; ubi tamen facta in eute efflo-  
reſtentia, defervescunt. Sed quando retinetur materia  
intus, aut egressa relabitur, internis vita proxime ser-  
vientibus partibus inflammationem inducit, cum vita ut-  
plurimum jactura. Atque ex harum censu etiam est illa  
febris, quam sequitur inflammatio erysipelacea. Fre-  
quens certe & gravis morbus, sed qui plerumque vel do-  
mesticis experimentis relinquitur, vel negligentius ab  
ipsis medentibus excipitur. Ex quo quam gravia in la-  
borantes resultent incommoda, pluribus experientia quo-  
tidiana facit restatum. Mihi autem digna omnino est  
vita hæc *erysipelacea febris*, que penitus excuteretur &  
de qua recta medendi methodus Iuppeditaretur. Sumsi  
igitur hoc mihi ad ductum *Magnif. Dr. PRAESIDIS*  
jam speciminis inauguralis loco perficiendum, & sum-  
mum Numen supplex rogo, velit coepio savere labori,

## §. I.

**E**rysipelatis vox, origine Graeca, vel a colore ru-  
bro, vel quod ad vicinas serpat, derivata, apud  
priicos quidem latius sumta videtur, pro quavis  
inflammatione. Hodie autem in scholis Medi-  
corum stricte & proprie denotat illum affectionem, quem  
Latini dicunt, a colore roseo, rosam, nec non ob ar-  
dorem impensum, ignem sacrum, nostri die Rose, das  
Rothlauf, das wilde Feuer. Ut vero, quid nos per ery-  
sipelatam febrem intelligamus, statim in limine pateat,  
dicimus: esse febrem exanthematicam, in qua sub in-  
tensioni sanguinis & humorum motu, serum acre, sul-  
phurea, caustica natura, ad partes extremas, cum tu-  
more, rubore, ardore & dolore, propellitur.

## §. II.

Febrem igitur, & quidem exanthematicam, esse, erysipelaceam, affirmus, idque etiam omnia, quibus stipatur symptomata, uberioris evincunt. Nimirum praecedit lassitudo in toto corpore, succedit horror, cum præcordiorum anxietate, vigilia, dorsi capitisque dolore, excipit astus, pulsus contractus & frequens est, abvus stricta, urina rufa sine sedimento, aliquando accedit vomitus biliosus, aliquando delirium, in glandulis colli, axillarum, vel inguinum dolor aliquis sentitur ac tumor, & inde sensim stria rubea secundum rectum ductum versus inferiora elongatur, donec intra tertium ut plurimum & quartum diem, partem aliquam, frequentissime in cruribus, aliquando in capite, genitis, facie, mammis, aut brachio, dolor corripiat pungens & pulsans, cum calore, ardore, tumore superficiali & rubore, florido instar rosa, plus minusve expansio, qui ex compressione disparer, eademque remissa, mox reddit. Postea febris cum gravioribus symptomatis conquiscit, pulsus sic mollior, somnus reddit, mador prodit, urina sedimentum ponit, dolor cum ardore sensim mitescit, rubedo etiam, aliquandiu adhuc perseverans fluvescit, pallescit ac deinde cum pruriitu evanescit, atque interdum cuticula vel sponte, vel ob frictionem fuditur, vel fissa surfurum instar absedit & abraditur. Sed quando minor auctor & rubor, tumor autem magis expansus, efflorescunt quandoque vesicae subalbidae, e quibus serolus humor, tandem saniosus & pus, effluit, atque discusso erysipelite, tumescens remaneat edematosa. Quandoque etiam pustulae, quandoque vesicae majores, prodeunt, aliquando in ambitu lividae, vel etiam nigrantes, e quibus ruptis

riuptis sanies promanat, & suscitat exulcerationem, facile in gangrānām transeuntem.

## §. III.

Sic incedit atque occurrit erysipelacea febris. Omnia autem, quæ in ipsa præsto sunt pathemata, & gravia, & multa, confirmant utique, non tam levem & innocentem esse morbum, ac vulgo creditur, sed gravem saepe atque periculosum, quin eundem multum affinitatis alere, cum morbo omnium atrocissimo, ipsa febre pestilentiali. Nam invadit fere hoc malum uti pestilentia, ut qui hanc experti, illius autem insultui minus assueti, existiment se lue pestifera coripi, donec tandem in cute compareat inflammatio erysipelacea, morbique genium apertius prodat. Vt deinceps materia pestilentialis sedem læpius figit in glandulis inguinalibus, axillaribus & parotidibus; ita eadem observantur in erysipelate, quod ubi capitum imminet, patiuntur primum parotides, si mammis, axillares, si pedibus, inguinales. Pestifera præterea materia in glandulis abscessus format, ac partibus extremis facile gangrānam & sphacelum inducit; sacrum autem ignem axillares præseruit & mammarias glandulas sic saepe adurere, ut pus contrahant & artus quoque seeda corruptione afficer, omnes qui medicinam faciunt uberioris norunt. Demum sicuti in peste nil periculosius, quam si materia expulsa ab externis ad interiora relabitur: sic eadem noxa idemque periculum a retrocessione erysipelatis merendum.

## §. IV.

In eo tamen erysipelacea a pestilentiali febre differt, quod non ex contagio, sine causa externa, sed interna oriatur, nec contagiosa sit & alios sola exhalatione in-

B

ficiat,



sciat, nee tam virulenta sit & cum mortis periculo juncta. Inflammatio autem erysipelacea ab aliis his distinguitur, quod tumor in illa depresso, dolor non tam tenacius, color quoque roseus & floridus, qui in his magis luscus. Neque minus a phlegmone discernendum erysipelas. Nam in hoc inflammatio magis superficialis, in latum diffusa & pressa colorem exuit, materia quoque pauca & tenuis, in illo autem profundior inflammatio, subiectam non modo cutem, sed & pinguedinem & musculos tangens, attractu, ob duritatem, colorem non deponeat, ac sit a stagnante impuro sanguine, propterea facilis in gangrenam est transitus.

S. V. obsequio nostrum

Ipsum autem erysipelas a Practicis vulgo distinguitur in verum, quod & simplex, ac in nothum, quod & scorbuticum, vocant. Simplex facilius obsecundat comedis remediis internis & externis, ac tantum in superficie curis habet; nothum autem magis est chronicum, ob succorum impuritatem altius radices agit, difficile curatu & facile abit in ulcerata mali moris. Subdividunt hoc igitur iterum in illud, quod cum, & quod sine exulceratione est. In exulcerato plus utique periculi metuendum, & agris & Medicis & per longum tempus detinet, difficulter consolidandum.

S. VI. obsequio nostrum

Porro erysipelacea febris quandoque idiopathica, huc morbus primarius, quandoque symptomatica & morbus secundarius. In anasarca quippe, ascite, item diurno ictero, flavo & nigro, accedit haud raro symptomaticae erysipelas & agrum jugulat. Sæpe etiam complicatur vulneribus partium nervosarum, praesertim crani ejus-

□ □ □

11  
ejusque membranarum, item fracturis ossium, ac tum  
quoque in ancipiti versatur æger.

Tum non in omnibus semper unius ejusdemque in-  
dolis est erysipelas ac vehementia. Etenim in quibus-  
dam, juvenibus maxime, nec materia adeo virulenta,  
nec adeo multa, levius facit ac benignius, quod neque  
glandulas occupat, neque febrem intensam movet, sed  
secundo mox die prodit, cum rubore, tumore ac dolore  
in pedibus, & sub perspiratione debita, vel leni remedio  
domestico, prouite discutitur. Contra ea in cacochym-  
cis, senibus & impuris corporibus, ubi materia, & co-  
piosior, & deterior, sistema nervorum & vasorum gra-  
vius exagitatur, febris est acrior, dolores & inquietudi-  
nes acerbiores, ac nisi exquisita medicatione excipiatur,  
diu affligit & ægrius cedit.

§. IIX.  
Differt quoque erysipelas ratione partium quibus  
incubit, & variis distinctis sipayatur symptomatibus. In  
pedibus nitorem inducit tibiis, quin, si gravius, cum do-  
lore ad femora usque propagatur & levi tactu exacer-  
batur. Faciem si occupat, intumescit hæc successiue,  
rufescit, interspersis copiosis aqueis vesiculis, oculi a tu-  
more clauduntur, spiritus difficulter trahitur, nares &  
fauces aridae valde sunt & siccæ, & torpor plerumque ac  
sopor conjunctus est, quin, ob propinquitatem cerebri,  
metuendum, ne in phrenitidem, vel lethargum degene-  
ret lethalem. Mammæ ubi erysipelas tangit, intume-  
scunt, indorescunt, saxe lapidis instar, cum exquisito  
dolore & facile sequitur suppuration. Sub axillis ibique  
positis glandulis acerbissimo sipayatur dolore & plerum-

que in abscessum definit. Umbilicalem regionem in infantibus, frequentius infelat, ac inde per abdomen spargitur, cum gravibus patheniatibus, funesto utplurimum eventu.

## §. IX.

Ex peculiaribus erysipelatis generibus est illud, quod gravioribus symptomatis prodit, modo supra, modo intra umbilicum, & medium corpus, ab anteriori facie ad posticam & spinam usque, utplurimum latitudine aliquot digitorum transversorum, cinguli instar ambit, cum intensissimo ardore & insidentibus pustulis acribus, ignis in modum urentibus. Paucis hoc nostro tempore cognitum, & a Veteribus quoque parum notatum. Meminuit ejusdem PLINIVS lib. XXVI. cap. XI. sub nomine Zoster, & SCRIBONIVS LARGVS de comp. medic. cap. XCIX. vocat Zonam. Videlicet illud haud ita pridem Magnif. D. PRAESES in viro celeberrimo literato, purpura seborrhica admodum obnoxio, hac aliquandiu retehta, idque interne temperatis diaphoreticis, & exteris in fine lito olei ovorum, intra quadragesim dies, feliciter perfecit. Alias omnino periculoflum, & tradit jam PLINIVS, quod hominem necat. Quam periculoflum etiam sit binis exemplis confirmat JO. LANGIVS epist. pag. 110. anno Marchionis Georgii in Onofspachio, qui eodem ex ulcere cruris a Chirurgo intempestate consolidato interierit, altero Comitis Palatini Otthenrieti, qui a humbris ad genua usque hoc exanthemate circumdatus, febre simul ad delirium usque astuans, incisa tamen utriusque pedis vena & adhibitus quæ febrēm ressinguenter, a morte adhuc vindicatus. Neque minus idem cum hoc casu videtur affectus, quem TVL.

TULPIVS obseruit, medicinal. lib. III. cap. XLIV. sub  
nomine excedentis praecordiorum herpetis describit.

## S. X.

Omnium vero, ut ita dicam, malignissimum est,  
quod post magnum virium languorem in corporibus fe-  
milibus, evincitius cacoehymicis, erumpit, subito late  
diffunditur, livescit, nigrescit & necat. Observavit id  
quondam Magnif. Dn. PRÆSES in consiliario septuage-  
nario, cuius femur totum occupavit inflammatio erysi-  
pelacea, cum febre acuta & aff. cum soporo, in quo  
altero mox die color in fuscum conversus & quinto die  
mors accessit. Ejusdem deleterie indolis & illud est,  
quod nonnunquam in febribus malignis & pestilentiali-  
bus, sub papilla & in cordis regione, vel etiam mami-  
bus aliquique exquisitioris sensus partibus, efflorescit, li-  
vidum mox fit, demum atrum morte cito subsequente. Quod & PLATERVS lapio annoveravit ac  
opp. tom. II. pag. 23. sub nomine macula latæ descripsit, &  
quale etiam se vidisse tellantur collectores Histor. morb.  
Vratislavens. anno MDCCXIX. pag. 7.

## S. XI.

Ad causas hujus febris quod attinet, materialis neu-  
tricam simplicis bilioꝝ, vel lalsæ, sed potius cauſicæ,  
acris & putrefacientis indolis esse videtur. Vehementer  
enim ipsius in partes nervosæ operatio, totius corporis  
economiam functionum illico graviter turbans & vigili-  
am, delirium, inquietudinem, anxietatem, corporis  
excitationem, vomitum & sensuum turbacionem, indu-  
cens. Longe gravior adhuc, quando expulsa materia  
retrocedit, quippe quæ, tum haud secus, ac venenum,  
etiam deliria, inflammationem internam, alarma convill-

14  
perfricatae contortae se cum posceret  
sifum & spasticas stricturas cierit, saepe lethales. Ne di-  
cam, gangrenam & sphacelum, quae erysipelas, in pri-  
mis male tractatum, facile excipiunt, virulentiam mate-  
riæ luculenter satis prodere ac indicare. Vnde vero hæc  
materia trahat ortum? non adeo quidem in expedito.  
Ego tamen crediderim, ex bile, variis ex causis vitiata &  
corrupta reddit, in duodeni flexura stagnante diutius, ibi  
cum succo pancreatico consermentata quasi & caustica  
aci facta, eandem conflari, inde successive ad sanguine-  
& cerebri spinalisque medulla membranas ferri, uni-  
versum nervosarum & vaseulosarum partium systema ma-  
le afficere, febremque efficere, donec denum ad exter-  
num corporis ambitum pellatur.

### §. XII.

Ad concipientiam hanc erysipelatis materiam, dis-  
positi præ reliquis temperamento langainei & sanguineo-  
cholerici, plethorici, juvenes, viri, nec non feminæ  
gravidae, in quibus tamen benignioris esse solet natura.  
Sed in scorbuticis, senibus & cacoehymieis, item semi-  
nis, suppressione vel etiacione, aut retentione mensum  
laborantibus, deteriorem obtinet genium. Crebrius etiam  
& facili ex causa, eidem obnoxii, qui ex parentibus co-  
dem affecti prognati, & qui temel passi, sapient postea  
ipsius experientur insultum, praesertim si sens & scor-  
butici. Anniversaria & æquinoctialia, quin singulis  
mensibus redeuntia erysipelata, Magnis. Dn. PRÆSES no-  
tavit. Sed de his, in senibus maxime & cacoehymieis,  
verum etiam deprehendit HIPPOCRATIS in aphor. 14  
effatum: quod qui saepe erysipelate corripuntur, tan-  
dem eo moriantur.

### §. XIII.

## §. XIII.

Quæ autem hanc intus delitescentem erysipelatis materialē causam evolvit & in actum deducere possunt, ex rebus non naturalibus sunt multa. Inter hæc primum ac præcipuum locum sibi vindicant arimi affectus vehementes, ira præterim ac terror. Inter alia FALLOPIVS consignavit exemplum feminæ, quæ, quotiescumque irata, erysipelas nati incurrit, potu aquæ hordei facile discutiendum. Nos etiam, quid animi pattemata ad inducendum erysipelas faciant, confirmatum habemus notabili exemplo, viri, qui primum ex terrore propter incendium subito obortum inflammationem erysipelaceam in tibia dextra incurrit, quæ, quum cacheatum simul esset corpus, exulcerata, demum tamen fere coire visa est. Sed quum interea ira commoveretur vehementius, denuo cuin horrore ipsum incessit tumor erysipelaceus in femore, qui pariter pus contraxit, fistulas in musculis sibi efforinavit, multoque labore vix est consolidatus.

## §. XIV.

Excludit deinde erysipelas aer nimis calidus & intentus solis ardor, nec non vicissim subita & vehementis corporis vel pedum refrigeratio. Idem facit cibus calidus, potus exestuans, crebra ebrietas, nec non balneum servidius. Inprimis vero ad exclusionem hujus mali faciunt, evacuationes sanguinis, tam artificiales, per scarificationes & venarum sectiones, omissæ, quam spontaneæ per narres, uterum & sedis venas, interceptæ. Speciatim capitis erysipelas frequentius accidit his, qui diu noctuque in aer. humido & pluvioso dantur, item feminis. In mammis solenne est pueris, præterim lactan-

FINIS

Iactantibus, post gravem terorem, tumque illico fissitur lactis effluxus, mammae dura fiant & a latte coagulato tumescunt.

## §. XV.

Interim erysipelas, si cito & sine adeo vehementi commotione erupit, nec corpus torpidum, nec locus nobilior, aut cum nervosis partibus communicans, non tantopere periculosum, sed sub auctiori perspiratione adhibitis congruis remedii, post unum aut alterum diem tumor sensum subsidet, ardor ac dolor evanescit, calor roseus mutatur in flavum, cuticula funditur, in squamas fatiscens secedit & morbus ex voto solvitur. Quin lubritatis plane notam quandoque fert, ac novi, alias morbos, praesertim asthema convulsivum, nec non collicam convulsivam, erysipelate superveniente, suisse feliciter abactos.

## §. XVI.

Sed ubi erysipelas magnum, profundum, succi corporis eminentius impuri, pars exquisitoris sensus, periculo, ut supra passim dictum, non vacat. Aut enim rubor livorem & nigredinem induit, ac brevi in sphacelum transit funestum; aut inflammatio discuti renuit, suppurratur ac ulcera mali moris, fistulas ac gangranam inducit. Minimum in sanguineo, phlegmaticis & cacocheinicis post erysipelas remanet ingens rumor pedis, ut tibia magnitudine tripla naturalem statum excedat isque tumor difficulter abigitur. Qui autem hoc morbo moriuntur, febre pereunt, quæ urplurimum juncta est cum difficultissima respiratione, interdum cum delirio, aliquando cum sopore, & intra septimum plerunque diem catastrophe accedit letalis.

## §. XVII.

Male etiam cedit, quod perversa medicatione excepitur. Nam primum & verum HIPPOCRATIS aph. 25. Sect. VI. est dictum: quod si retropellatur, sic perniciosum, quin funestum. Norunt certe uberius omnes qui Medicinam exercent, quam gravia læpe per repulsionem & retentionem erysipelatis, ab imperitis Medicis maximeque domesticis experimentis, inducantur dampno. Nos quidem vidimus post vomitorium & va-  
lendum purgans recessisse erysipelas, insequitam ventri-  
culi inflammationem & mortem. A vena sectione etiam ad interiora revocatum esse & vagum postea cum longe majori incommodo factum suisse notavimus. Observavi-  
mus quoque, repullo ab ipsa comphora cum minio &  
bole cruris erysipelate, exceptisse febrem intensam, sto-  
machi dolorem intolerandum, respirationem mire labo-  
riosam, vomitum biliosum, virium languorem appeti-  
tusque prostrationem, nec prius conquevisse hæc pa-  
themata, quam datis antispasmodicis leniterque diapho-  
reticis & revocato ad pristinam fedem per vesicatorium  
erysipelate. **¶**

**D**e capitis erysipelate, repellentibus, frigidis, adstrin-  
gentibus, vel etiam nimis spirituosis, nec non camphora-  
ris linimentis tractato, compertum habemus, quod in-  
duderit verrighem, affectus soporofos, anginam, phre-  
nitidem, lingue paroxysmum, que mala senioribus & scorbuti-  
mfectis haud raro tuerunt funesta. Eandem noxiam passim  
restantur Medicorum observata. Ex erysipelate tibia epi-  
chremate additamente frigide admoto, repulso, die unde-  
cimo mortem accidisse inventis post mortem pulmo-  
nibus

nibus & cerebri membranis pustulis imiliaribus obsestis, mirum factemibus, fidem facit BONETVS in anatom. pract. lib. I. Sec. VI. Obs. II. Feminam, post applicatam aquam frigidam, horrendum delirium & miserrimum mortem esse expertam, testis est, HAGEDORN Cent. I. obs. XXXIX. Et erysipelas, solo aere frigido repulsum, vertiginem & impotentiam lateris induisse, memorat SALM VTH Cent. II. obs. XLIII.

## §. XIX.

Neque minus saturnina, oleosa, linimenta spirituosa, largiter comphorata, exterius admota, malum erysipelatis eventum procurant, ac ut in ulceris mali moris, gangrenam & sphacelum, degeneret, faciunt, uti pluribus MOENICHEN obs. II. pag. 245. item TIMAEVS a GULDENKLEE lib. VI. cap. XXXII. testantur. Speciam HILDANVS de erysipelate manus oleo rosaceo ex consilio imperiti Chirurgi inuncto, gangrenam vix sanabilem accidisse memorat. Cent. II. obs. 82. Erysipelas etiam cruris cedematosum lavamento spirituoso sublatum, febrem intensam, laboriosam respirationem, intolerabilem stomachi dolorem & vomitum biliolum induxit, eademque omnia, revocato in tibias per vesicatorium erysipelate, disparuisse, relatum legimus in M. N. C. Cent. VI. pag. 107.

## §. XX.

Hic est decursus & haec sunt causae erysipelatis, atque tam gravia etiam ex preposta medicatione damna redundant. Opera igitur danda, ut congrua remedia cause morbi opposita recta methodo adhibeantur. Jam omnis erysipelati medendi ratio tribus his absolvitur indicationibus: I. ut motus iste febrilis naturae nullo modo

do impediatur, sed potius, si deficit, promoveatur, si excedit, ad temperamentum reducatur II. Ut materia subtilis caustica, nervosis partibus insidens, temperetur atque ad se & excretionem præparetur. III. Ut stasis lymphæ putridæ & causticæ inflammatoria in partibus externis difficiatur & ad perfectam expulsionem deducatur.

§. XXI.

Inter ea præsidia, quæ motum febrilem naturæ quodammodo languentem excitant & promovent, ex classiis remedium laudem omnino meretur mixtura simplex, quando cum spiritu nitri dulci, aut melius adhuc, liquore nostro anodynō minerali, miscetur; vel si essentia scordii, aut pimpinellæ albæ, non adeo spirituosa & concentrata, cum tantundem liquoris anodynī nostri confunditur, & ad XX. vel XXX. guttas, porrigitur. Juvar quoque expulsionem infusum thicorne, ex herba scordii, floribus sambuci & semine scenliculi compositum, nec non ex temperatoribus pulvis bezoardicus noster, aut Ludovicianus. Motus spasmusque excedentes moderatur emulsiō ex aqua fl. sambuci, tiliæ, acaciæ, cum seminibus quatuor frigidis majoribus, nec non semine napri, præsertim si loco vehiculi usurpetur, cum quo pulvis noster bezoardicus, vel solus, vel cum aliquot nitri & cinnabaris grana, assūmatur. Idem facit simulatque expulsione fusiinet, mixtura ex una spiritus bezoardici Buffi & tribus liquoris nostri anodynī partibus. Vbi vero motus legitimi, nec nimii, nec deficientes præsto, utilissimum omnino domesticum illud remedium, ex rob. sambuci uncia, cornu cervi usli, aut lapidum cancerorum drachma, ex aqua florum sambuci sumtum, cui ego in calidioribus cum fructu adjicere soleo X. vel XII. nitri puri grana.

Ad demulcendam humorum acrimoniam, materiamque recte præparandam, prater jam dicta, spectatae sunt virtutis decocta, loco potus ordinarii sumta, ex rasura cornu cervi, radice scorzonerae, altheæ, liquoritiae & chinæ, eum semine foeniculi, item decoctum avenaceum.

Discussio staseos inflammatoriae per externa juvanda.

Laudantur hunc in finem varia ab auctoriis. LOS-SIVS lib. I. obs. 25. commendat pithema ex decocto flororum sambuci cum vino, sapone Veneto & theriaca. BARTHOLINVS Cent. VI nec non CRATO & ANGELVS SALA lithargyrum inter duas petias tenuide apponendum. LVDOVICI in opp. pag. 448. pulverem ex cerussa, myrrha & farina. Sed quam facile externis erysipelas repellatur & damnum procuratur, supra jam dictum & inferius adhuc dicitur. Hinc summa in eorum usu opus est cautione. Vstatissimus pulvis erysipeloides MYNSICHTI, ex farina volatili, plumbō usq; bolo rubra, mastiche, olibano & cerussa. Cujus in locum commode ac tutius surrogatur pulvis extemporaneus ex floribus sambuci & radice liquoritiae, sub temperato calore lecti & hypocauliti, subinde inspersus, vel sacculus ex his & floribus chamoillæ utriusque, meliloti, tepide admogus.

Accedat vero necesse est congruum regimen. Nam perpetua in practicis est regula: In acutis & exanthematicis febribus, corpus semper in blanda & continua diaphoresi esse servandum, quo sanguinis aequalis ad su-

per-

perficiem corporis fiat & maneat motus, ac cum hoc ex-  
crementitia materia jugiter advecta diffletur. Hinc pene  
rito etiam idem in erysipelate tenendum, cum quoad to-  
tum corpus, tum maxime quoad partem affectam, quo  
dolores mitigantur & discussio egregie promovetur.

## § XXV.

His occurrentum praesidiis erysipelati; jam non abs-  
re erit, utilissimas quasdam adjicere cautiones, in medi-  
catione solite tenendas. Harum potissima circa ex-  
temorum usum versatur, ne iisdem vel repellatur, vel  
in ulcus convertatur erysipelas. Jam quidem inter omnes  
uberius constat de noxa ex aetu frigidis & unctuosis, nec  
non ex adstringentibus, terreis & humidis. Sed, qui no-  
stro tempore quam maxime taxandus, abusus camphora-  
torum. Pessimus enim passim invaluit mos, partem ery-  
sipelate affectam sepius inungere & sovere spiritu vini  
camphorato, modo cum, modo sine croco. Tantum  
autem abest, ut hoc discutiator erysipelas, ut potius fibra  
nimium fiant rigidæ, tenue exhaleret, crassius magis im-  
pingatur tandemque vel corpori partis, vel ulceræ fistu-  
losa inducantur. Nos certe multa sinistri effectus novi-  
mis exempla. Vidimus in virgine mensium suppressione  
laborante & post terrorem erysipelate capitis affecta, tam  
male cessisse litum crebriorem cum spiritu vini campho-  
rato, suauè Medicis institutum, ut non modo supra tem-  
pora exulceratio fieret, sed & vel decem fistulosi ductus  
per calvariam frontem genas, ad collum usque excurren-  
tes, emergenter, cum enquisitis doloribus, maxilla infe-  
rioris immobilitate corporis questrabat, donec tandem, at-  
scito peritiori Medico Chirurgo, ulceræ ad consolidationem,  
non sine magno labore & vix intra tres menses, per-

C 3

duce-

IIIIX .2.

ducentur. Quin quum cujusque fere corporis peculia-  
ris sit idiosyncrasia, sive specifica quædam & individua-  
lis sensibilitas, quæ quam maxime in cure, seu parte ner-  
vosa, vigeret; hanc etiam ob causam in vitiis cutis eo ma-  
jori cum circumspectione topica admovenda, quia non  
omnia fert omnis. Observavimus enim lapissime in  
mammarum erysipelate, admoto innoxio & in aliis vel  
centes probato emplastro, brevi tempore auctam potius  
fuisse cum dolore inflammationem, quæ remoto emplastro  
illico remisit.

### §. XXVI.

Quod si, adhibitis licet efficacibus internis & exter-  
nis discutientibus, erysipelaceus tumor tamen manet, ru-  
bor livescere incipit, dolor profundius haeret & ad pe-  
riostium pertingere videtur, ad ulcerationem tendit ery-  
sipelas. Tum igitur transeundum ad ea, quæ suppura-  
tionem promovent; ita tamen, ut simul corruptioni purre-  
dinoꝝ occurratur. Hunc in fine utilissimum empla-  
strum diachylon simplex rite confectum, adj. c̄ta suffi-  
cienti quantitate camphorę & croci; vel etiam empla-  
strum Barbette saturninum saponatum, superpositis epi-  
thematibus balsamicis, quæ corruptionem arcent. Quan-  
do his pus contractum & profundius haeret, apericendus  
tumor lanceta, & pus successive, non simul & semel,  
evocandum. Ne autem in glandulosis maxime locis ab-  
scessus in fistulosa & mali moris ulcera transcat, post  
materiæ secessionem, injiciendus liquor balsamicus ex  
tinctura florum hyperici, essentia balsami Peruviani, myr-  
ra electa & aliquot guttulis spiritus terebinthine.

### §. XXVII.

Quando erysipelas nimis profundum & magnum spha-  
celum,

celum, ex colore in bruno rubicundum vergente & sym-  
pronatum post expulsionem perdurazione, cognoscen-  
dum, minatur, præter interna inflammationi & putredini  
resistentia, nitrum maxime cum momento campho-  
ra, externe spirituosa & roborantia, conficienda ex aqua  
calcis vivæ, spiritu vini camphorato, aceto vini, cum li-  
thargyrio, admixta quoque essentia scordii & myrrhæ,  
crebrius calide cum linteis duplicatis applicanda.

§. XXIX.

Sanguinis missio in erysipelate quandoque noxia,  
quandoque utilis. Ne igitur delinquit artifex, tenen-  
dum: si invadit erysipelacea sebris plethoricos, potibus  
spirituosis assuetos, primis statim diebus vena in brachio  
peritundenda. Sic enim liberior fit sanguinis progres-  
sus & expulso materia ad cutem promovetur. Tanto  
vero magis id util est, si caput petit erysipelas, tumque  
gravia hoc auxilio praefinduntur symptomata. Consul-  
tum quoque est interdum, loco venæfectionis, encurbitu-  
lis cum scarificatione in cervice uti. Semper tamen post  
sanguinis subtractionem curandum, ut expeditus & æqua-  
lis maneat perspirationis successus.

§. XXX.

In erysipelate scorbutico, quod diu detinet, in usum  
vocanda sanguinem depurantia & leniter laxantia, cum  
diaphoreticis; ita quidem, ut per aliquot dies alvina re-  
gio expurgetur, dein per aliquid tempus subjungantur diu-  
retica ac diaphoretica, idque alternatim aliquoties repe-  
tatur, simulque pro potu ordinario decoctum temperans  
ex lignis & radicibus mucilaginosis, cum amaris, praeser-  
tim cum radice cichorii, taraxaci, & passulis, bibatur.  
Novit in Westphalia *Magnif. Dn. PRAESES* virum gene-  
rosum

at rosū, contumaci scordutico erysipelate tertere quotannis  
circā malleolum laborantem, cui cum fructu fiasit, ut  
fonticulum inuri pernitteret inter genu & malleolum,  
acidulis Antonianis ut retur, pedem tumidum ac debilem  
fascia spiritu vini madida arctius ligaret & præterea a cras-  
sori vietu abstineret & mane iuscula cum radice cichorei,  
apii & scorzonera consecuta, sorbillaret.

## §. XXX.

**Quod** sape recurrit erysipelas, non sine periculo est.  
**Hinc** eo annitendum Medico, ut corpus ab hoc malo vindictum  
sit. SENNER TVS de febb. lib. II. cap. XVI. laudat pla-  
centulas ex comis absynthii, herba taraxaci & chamadryos,  
per mensum Majum omni mane sumendas, nec non lac  
tui cui flores sambuci incoctæ, decrescente luna, ter vel qua-  
nter, mane hauriendum. BARTHOLINVS Cent. VI.  
bis. LXXXII. meminit experimenti in Dania probatissimi,  
quo urinam propriam nelle subactam, summo mane con-  
tinuis tribus diebus assumunt, & exinde rutos se per vi-  
tam ab erysipelate scient. Alii, quibus plethora sola  
fere morborum causa, in sanguinis missione spem po-  
nunt omnem. Nos autem nil efficacius deprehendimus,  
quam debitum, sub congruo regimine & vietu, præpa-  
rato prius sive per laxantia, sive sanguinis missione  
corpo, institutum aquarum mineralium usum, internum  
& que ac externum, eoque nomine præ reliquis laudem me-  
rentur acidulæ Egrana, therinæ Ensenles, nec non Caroli-  
nae mitiores. His autem deficientibus, venæsectio, vere  
& autumno præsertim, purgationes per epicrasin, & ea,  
que sanguini repurgando servijunt, cum exacto in  
vita vietuque moderamine, operam locant  
commodissimam.

FINIS.

**S**inn hin geliebter Freund, was meine Hand Dir  
reichet,  
**E**s ist ein treuer Wunsch: Nicht der vorüber streichet,  
Nim, sondern da sich Herz und Kiel und Mund vereint.  
Ist liebes Bielitz gleich Herr Stabel jüngst erblasset,  
Des Arbeit ehedem Du in viel Lob versasset,  
So kommt Dir doch vom Herrn ein neuer Musen-Freund,  
Der mit Hygea stets Vertraulichkeit gepflogen  
Und aus derselben Brust der Weisheit Milch gesogen.  
So reise Wertheimer zu Deinem Vaterland,  
Nimm den verdienten Lohn nach angewandter Treue,  
Damit Dein matter Geist sich wiederum erfreue:  
Des Himmels holder Blick beglücke Deinen Stand;  
So wenig aber dort sich Joseph kont verweilen,  
Das was zum Leben war auch andern mitzuhelsen,  
Indem die Weisheit sich nicht in sich selbst verzehrt;  
So wenig wird Dein Aug auf Patienten schauen  
Dass Dein Verstand nicht auch dem suchte vorzubauen;  
Was ihren bittern Schmerz und Todes-Furcht vermehrt,  
Der Herr beglücke Dich auf allen Deinen Wegen,  
Bis Du den Ort erreichst in tausendfachem Segen.

Dieses seige seinem geehrtesten Freunde zur  
Bezeugung eines ergebenen Gemüths

**Carl Langer,**

BILIZIO-SILESIUS.

S. S. Th. Cult.

**I**n genii specimen præbes CLARISSIME DIETRICH  
In Studio medico quod modo cingit honos:  
Dum nempe & causas morbi scrutaris & ortum,  
Demonstrasque simul quid medicina juvet.  
Artes inter tot placuit TIBI Musa medendi,  
Pellere quæ morbos corporis ipsa docet.  
Hac ornare animum suadet solus Apollo,  
Præmia nunc studii reddere digna monet,  
Quæs veluti cinctus perges diademate lauri  
Ad patriæ gremium in prosperitate DEI.  
Gratulor unde TIBI carpas virtutis honores,  
Qui TE Doctorem rite creare jubent,  
Et simul exopto, sis faustus in arte medendi,  
Ut sanare queas langyida membra nimis:  
Imprimis ardens erysipelacea febris  
Curetur studio ac sedulitate TVA.  
Hoc, mea Musa TIBI jussit componere carmen,  
Accipias hilaris quod cano mente pia.  
Porro, TE divina beet benedictio semper,  
Quidque exoptabis præbeat omne DEVVS.

Hæc pauca, in perpetuum observantia &  
memoria monumentum, nobilissimo atque  
doctissimo Domino Candidato, fautori  
suo longe gratiosissimo, pio animi voto  
adponens voluit.

**ANDREAS TEXTORIS,**  
Teschiniq. Silesivs S. S. Th. Cultor.  
**D** **R** **M**

Uf 1397


ULB Halle

004 111 818

3







11.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**FEBRE ERYSIPE-  
LACEA**  
QVAM  
PROPIPIO SVMMO NVMINE  
PRÆSIDE  
PRO-RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE ET h. t. DECANO  
*Ad d. Martii Anni MDCCXXIX.  
H. L. Q. C.*  
PRO DOCTORIS GRADV  
RITE OBTINENDO  
PVBLICO EXAMINI SISTET  
**FRANZ LUDWIG DIETRICH**  
Bielicensis - Silesivs.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.